mea totus iterum Musis vacaturum eam, quamdiu quidem
ne immunem a Republicâ animum habere per illos licebit
qui huic præsunt. Si quos otii istius non poenitendos fructus
posteritati imputandos arbitrari, tuum erit monere. Ego
quod unquam isti calamo imperaveris, quo rectè curetur
ac sedulò quam promptissime exequar. Vale vir Amplis-
sime, neque quidquam earum elegantiarum quas polliciti
sunt Mattiaci vestri luci publicæ commiserunt, diutius
nobis invideantur sine. Hagæ X°. Calendarum Maij
CIƆIƆCXXIII.

(59).

Bronardo. ~~Bronardo~~

Non accidit prorsus meâ culpâ Bronarde amicissime, quod
hactenus siluerim. Enimverò cum scribendum non arbitra-
rer nisi unâ debitum persoluerem, cujus me reum dimisis-
ti, factum est ut mallem non scribere, quam neglexisse
videri id cujus potissimum gratiâ compellandus eras.
Occasionem itaque munusculi hujus perferendi non nisi
serò nactus, dabis veniam, si tardiusculè, quam par erat,
nomen istud libero. Festinanter ista scribo, instante nimium
et adstante nautâ; non possum tamen non addere, pele-
gisse me sacrificium Abrahami, quo videas quantoperè
ejus avi meminisse me deceat, cum eidem historiæ adum-
brandæ communem operam navaremus, quæ quidem mihi
jucundissima omnium recordatio, quoad vixero, futura est.
Ita me tu, ita Doctissimus Thorius amet, cui salutem
a me dices, qualem ijs impertiendam censes, quorum maxi-
mè apud me in pretio est memoria. Salveant itidem
Uxor atque filiola nostra plurimum. Hagæ postridie
Non: Quintil: CIƆIƆCXXIII

C. Hugenius

Saluto Casaubonum, si
apud vos est.

(60).

J. Catzio.

Si familiæ erciscundæ negotium profligasti, atque iterum
tuus es, Amplissime Catsi; esto nunc paulisper meus
quoque. Ex quo postremum te conveni, pedem pene
domo non extuli, cum molestissimo morborum perpe-
tuò colluctatus. Is circa hos oculos est, quorum ingraves-
cens quotidie malum, Medicorum curæ serò tradendos monuit.

Gessi,